Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1013
Quelle:
Copyright:

clarat sibi lu — — — neque, nisi praecipuos cuiusvis Mensis dies festos continet. Nihil in *Augusto* de *Machabaeis*, sed:

Augustus sixtum octauis tenet idibus almum.

In *Septembri* melius noster: *Quis meruit nasci* (idibus) quam *Acherius: Qua meruit* &c. In *Novembri* melius: *laude decorus*, quam: *laude decoris*. Universim in XXIII. quos *Codex* exhibet, *versibus* praeter Servatorem ejusque matrem non nisi *Petrus et Paulus, Xystus, Laurentius, Bartholomaeus, Johannes Bapt. Michael, Simon et Judas, Omnes SS. Martinus, Andreas, Thomas, Stephanus, Johannes Apost. Innocentes* et *Silvester* memorantur. Unde suspicari quis posset, *Martyrologium* istud *Beda* antiquius cum ab ipso, tum ab aliis successu temporis auctum fuisse.

A versibus his statim incipiunt superstitiosae quaedam adjurandi *Formulae*, v. g. *Ad Vermes occidendos*, *Contra Sagittam Diaboli*, *Ad Pullos de nido* &c. quibus quaedam etiam *Francotheotisca* immixta sunt multum jam adtrita et fugientia. Inter alia *Apibus* sic praecipitur: *Vos estis ancillę domini. Uos faciatis opera domini. Adiuro uos per nomen domini ne fugiatis a filijs hominum.*

CCLXXVIII. VII. H. 21

699 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 134. 4. a diversis Librariis exaratus, et olim *Monasterij sancti Mathie apostoli extra muros treuerenses* Sequentia nunc continet: I. *Fl. Alcuini Libros III. de Trinitate*, et, ut addit Noster, *de Incarnatione Christi*, praevia ad *Carolum* M. Epistola, prout extant edit. *Ratisb.* 1777. T. I. *Vol.* II. p. 703. Ad quam Editionem tamen non videtur adhibitus *Codex* praesens, qui in praemissi Hexastichi v. 4. *ornet* pro *salvet*, et C. 1. pro *pervenire volentibus* legit *festinare volentibus* &c. Ad calcem omissa *Invocatione* Trinitatis statim *Sequitur Credo.*

II. *fol.* 33. p. 2. *Incipit epistola domini Alcwini ad fredegisum suum discipulum.* Hujus initio absque dubio cum Nostro legendum: *quibus fortasse ab aliis vestre aures sapientie inquietari putamus.* Sequuntur *Quaestiones XXVIII. de Trinitate*, ut in Edit. *supracit.* p. 739.

III. *fol.* 36. p. 2. adscriptus est *Hymnus*, quo mysticus XII. Gemmarum Apocalypticarum Significatus exponitur. Ejus initium:

Ciues celestis Patrie
Regi regum concinite
Qui est supremus opifex
Ciuitatis uranice.